

DOLUS IN IURE CANONICO

SUMMARIUM: 1. Essentialis videtur in conceptu doli conexio cum errore; sed et limitat libertatem quo damnificat iniuste. 2. Haberi potest in omni actu iuridico bilaterali; in iure matrimoniali consideratur ratione erroris tantum; dolo numquam agnita vis irritandi ut docet Navarrete. 3. Nunc primo in CIC de dolo in iure matrimoniali: ut circumscribat irritationem, iure positivo, ex errore in qualitatem (quod de se non invalidat), non ut vim tribuat dolo. 4. Unde quaestio: dolo in iure nonnisi ratione erroris? Sic videretur iuxta AA. 5. Non obstantibus cann. 103 § 2-104 CIC 1917 vario modo explicatis. 6. Num distinguendus dolo prout errorem causat et prout eo quis abutitur? 7. Ita ut canones intelligantur ratione effectus rescindibilitatis vel irritationis. 8. Cur autem non de dolo, ut de metu, in iure matrimoniali, etsi in genere idem effectus utriusque? 9. Dolo intervenire potest in multis actibus iuridicis. Codex saepe considerat dolum simul cum metu. 10. Quando de ingressu in novitiatum aut professionem religiosam, auctores facile attendunt tantum ad qualitatem erroris. 11. Canones de emissionem voti aut iuramenti. 12. Duo canones ubi dolo sine alio vitio consideratur. 13. Alii simul cum neglegentia dolum considerant. 14. In his subtilis mutatio in conceptu doli: non iam vitium actus. 15. Usque ad aequivocitatem? 16. Systematisatio vigens vitiorum actus iuridici.

1. *Doli* definitio classica est in iure canonico, siquidem a primis temporibus usque ad nostros dies repetitur definitio data a Labeone, prout eam refert Ulpianus: «*Omnis calliditas, fallacia, aut machinatio, quae ad circumveniens, fallendum, decipiendum alterum adhibetur*». Iuxta hanc igitur definitionem, dolo naturaliter cum errore connectitur. In ipso conceptu doli essentielle videtur quod qui dolo utitur

vel errorem intendat et causet, vel eo abutatur errorem confirmando.

Verum, praeter errorem, dolus involvit etiam limitationem libertatis subiecti qui patitur dolum ideoque iniustitiam implicat. Unde duplex consideratio possibilis: doli ipsius quatenus iniusti (damnificat), et eius effectus, erroris, sive accidentalis sive substantialis. Causa iniusta (dolus) et effectus (error) considerari possunt separatim.

2. Dolus intervenire potest, ut planum est, in magna varietate actuum iuridicorum. In iure autem matrimoniali, canonistae dolum considerare solent *exclusive* sub ratione *erroris* quem dolus natus est producere, non sub ratione iniustitiae. Etenim in iure matrimoniali, consideratio doli haberi potest tantum quatenus ipsum causare possit (sive ex iure divino sive ex iure ecclesiastico) nullitatem matrimonii; quae nullitas certo non procederet ex mera iniustitia quatenus causaret limitationem, non autem exclusionem libertatis. Iam vero, talis iniusta limitatio libertatis ratione doli, quae in aliis actibus iuridicis, locum dare potest rescindibilitati actus positi, in matrimonio considerari nequit, utpote quod matrimonium semel validum rescindibile non est, saltem si iam consummatum.

Sic cl. U. NAVARRETE, agendo de can. 1098 «*Qui matrimonium init deceptus dolo...*», asserit canonem agere «*tantum de errore doloso, id est, de errore qui inductus est dolo*». Iam vero, pergit ipse, tam doctrina quam iurisprudencia «*eodem prorsus modo tractaverunt errorem dolosum ac errorem non dolosum. Attendant tantum ad errorem, prorsus praescindentes a modo quo talis error generatus est, utrum scilicet spontanee (sine machinatione vel circumventionem ulla ex parte aliorum), an dolose (cum machinatione vel*

circunventionem aliorum)...». Ipsi dolo numquam agnita est vis irritandi matrimonium ex iure naturali, neque ex iure positivo¹.

3. In CIC nunc vigenti primo habetur in iure matrimoniali explicita consideratio doli, et quidem, prout asserit cl. NAVARRETE, tantummodo in quantum causantis errorem. Profecto can. 1097 statuit invaliditatem consensus si error in persona habeatur (§ 1). Si vero error in qualitate personae, non est invalidus consensus, nisi agatur de qualitate «*directe et principaliter*» intenta (§ 2).

Tunc can. 1098 agit de certo genere qualitatum, scilicet «*quae suapte natura consortium vitae coniugalis graviter perturbare*» possunt. Et statuit invaliditatem consensus matrimonialis si pars consentit *decepta* dolo, circa aliquam ex eis, dolo quidem patrato «*ad*

¹ U. NAVARRETE, *Canon 1098 de errore doloso estne iuris naturalis an iuris positivi Ecclesiae?*, in *Periodica* 76 (1987) [161-181] 162; 163-164. Iam anno 1974 scripserat in eodem sensu, et considerando dolum tantum ut causantem errorem; si enim sponte oriretur «*nempe absque machinatione vel circumventionem alterius partis*», non haberetur dolo. Igitur illa verba definitionis Labeonis intelligit, ut videtur, tanquam exclusive significantia actionem quae causaret errorem.

Notandum est, — id quod confirmat assertionem cl. NAVARRETE — CIC 1917 non explicitè considerasse influxum *doli* in consensum matrimonialem, ne quidem in canonibus in quibus considerabat influxum *erroris* (can. 1083-1084). Quin immo, aliter ac quando quaestio est de normis generalibus, nec considerabat dolum simul cum metu.

G. FRANSEN iam scripserat: «*Le dol, selon la discipline canonique, est absolument sans effets sur la validité du mariage*» sive propter bonum publicum exigentem soliditatem vinculi; sive ad excludenda dubia quae secus facillime orirentur; sive ex indissolubilitate matrimonii (*Le dol dans la conclusion des actes juridiques*. Evolution des doctrines et système du Code canonique, Duculot, Gembloux [Belgique] 1946, 395).

obtinendum consensum». Ipse cl. NAVARRETE explicat, in citato articulo, quo sensu *dolus* qui errorem inducit, consideretur post canonem qui de errore agit, scilicet non quidem ut vim quamcumque irritandi matrimonialem consensum dolo ipso tribuat, sed ut circumscribat campum irritationum, ex iure quidem positivo, quando agitur de errore in qualitatibus personarum quae non directe et principaliter intenduntur, seu de errore qui matrimonium non irritaret ex iure naturali. Si enim directe et principaliter intentae fuerint, nec verificentur, invalidus erit consensus ratione erroris, ex ipso naturali iure (can. 1097 § 2). Sed praeterea, iuxta canonem novum, tunc cum agitur de qualitate maioris momenti pro consortio vitae coniugalis, siquidem qualitas intendatur ex deceptione causata a dolo, tunc etiam habebitur irritatio consensus, ex iure positivo (can. 1089).

4. Verumtamen, attentis verbis cl. NAVARRETE, supra citatis, scilicet «[et iurisprudencia et doctrina] *eodem prorsus modo tractaverunt errorem dolosum ac errorem non dolosum. Attendunt tantum ad errorem, prorsus praescindentes a modo quo talis error generatus est, utrum scilicet spontanee* (sine machinatione vel circumventionem ulla ex parte aliorum), *an dolose* (cum machinatione vel circumventionem aliorum)...», alia quaestio exurgit de ipso conceptu doli. Stando enim illis verbis prout sonant, dicendum videretur, vel dolus est ad errorem causandum, vel dolus non habetur, sed consensus ponitur «*spontanee (sine machinatione vel circumventionem ulla ex parte aliorum)*...». Aliis verbis, videretur ergo quod dolus in iure non habetur, vel non consideratur, nisi qui errorem causet².

² Simili modo loquuntur et alii auctores qui, quamvis in

Ipsi commentatores canonum 103-104 normarum generalium CIC 1917, fortasse quia prae oculis habebant praevalenter si non unice, ius matrimoniale, passim videntur notionem doli considerare tantum quatenus errorem causat, licet notent difficultatem quae ex systematisatione horum canonum nomarum generalium oritur. Profecto can. 103 § 2 proponebat primo effectum metus et doli in actum iuridicum: «*Actus positi ex metu gravi et iniuste incusso, vel ex dolo, valent, nisi iure caveatur; sed possunt ad normam can. 1684-1689 per iudicis sententiam rescindi, sive ad petitionem partis laesae sive ex officio*»; deinde can. 104, effectum erroris determinabat: «*Error actum irritum reddit, si versetur circa id quod constituit substantiam actus vel recadat in condicionem sine qua non; secus actus valet, nisi aliud iure caveatur; sed in contractibus error locum dare potest actioni rescissoriae ad normam iuris*».

Ex dolo igitur (omittendo heic considerationem metus) actus iuridicus invalidus non erat sed rescindi poterat; actus vero ex errore poterat invalidus esse, si error erat substantialis vel si implicabat condicionem sine qua non; secus, non invalidum reddebat actum sed is etiam rescindi poterat.

genere loquantur, fortasse ad ius matrimoniale vel maxime vel etiam exclusive attendunt, quatenus dolum tantum sub respectu erroris considerant, ac si error esset unica iuridica consideratio pertinens cum de dolo est quaestio.

Sic J.M. CASTAÑO, *I vizi dell'atto giuridico in diritto canonico*, in *Atti del colloquio romanistico-canonistico* (febr. 1978), Pont. Univ. Later., Roma 1979, 252-266: «*Il dolus dunque influisce nella volontà dell'ingannato et quindi nel suo atto giuridico, solo indirettamente, cioè in quanto che il dolus induce all'errore...*» (255). Etiam «*il dolus, cioè, è una delle cause dell'errore e perciò è sufficiente l'inclusione nel Codice dell'errore come vizio del consenso*» (261).

5. VERMEERSCH-CREUSEN scribebant: «*Mirari quis posset cur in eodem canone 103 § 2 de metu et de dolo agatur. Metus enim voluntatem, dolus intellectum afficit, idque efficiendo errorem de quo in can. 104*»³.

Iuxta eosdem, sensus systematisationis in CIC is est, quod sufficit probare dolum (qui quidem errorem causat) ut ius habeatur ad actionem rescissoriam (can. 103 § 2) «*nisi alter probet nullam re vera deceptionem adfuisse*» (mea sublineatio); quin sit necessarium probare de facto errorem, cum non semper facile sit probare talem errorem qui invalidaret actum, scilicet errorem substantialem.

VIDAL notabat influxum doli in intellectum «*in quem inducit errorem*», dum metus afficit voluntatem, et concludebat quod quae dicuntur de dolo «*coordinanda*» sunt cum dictis de errore. Quae «*coordinatio*» revera convertebatur in «*reductionem*» seu assimilationem doli et erroris, etenim «*sicut error in quem inducit*», dolus a VIDAL distinguebatur substantialis et accidentalis; antecedens et incidens. Seu, quod idem est, putabat ius considerare dolum unice sub ratione erroris, ideoque iuxta VIDAL can. 103 agebat tantum de dolo accidentali, secus invalidaret actum, «*cum error, quem dolus inducit, relinquit substantialem consensum...*»⁴.

³ *Epitome Iuris Canonici*, t. I, ed. 8^a (a BERGH et GRECO recognita et aucta), H. Dessain, Mechliniae-Romae 1963, n. 227, 2.

⁴ *Ius Canonicum*. II. De personis. P.U.G., Romae 1943, n. 43-43. Eadem distinctiones in VI. De processibus (ed. 2^a recognita a CAPPELLO). P.U.G., Romae 1949, n. 301, 306, ubi pariter consideratio doli ratione erroris sive substantialis sive accidentalis; quamquam etiam admitteret actionem ad damna reparanda, ex solo dolo «*ne dolum... patrans obtineat quod per gravem iniuriam procuravit*» (n. 303). Ubi videtur accedere ad conceptum

Hanc alteram explicationem evolvebat MICHIELS, semper considerando dolum tanquam causam erroris. Verumtamen, ipse bene perspexit, can. 103 § 2 considerare dolum sub ratione iniustitiae quam involvit (sicut metus iniustus de quo in eodem canone), quatenus «*error agentis... fuit fraudulenter excitatus...*». Ideo can. 103 § 2 agebat, iuxta ipsum, de dolo accidentali seu ex quo «*in agente non nisi error accidentalis fuit productus*», qui tamen dicendus coactionem iniustam exercere, quae non immediate producit in voluntate, sicut in casu metus, sed per intellectum «*mediante errore*». Prout enim dixerat explicando conceptum doli, eius primarius et directus effectus et quidem essentialis «*est quod in mentem agentis errorem excitat*», et quamquam MICHIELS admittebat dolum negativum, quando scilicet error fortuitus in agente deliberate ab alio confirmatur, in utroque casu, sive doli positivi sive doli negativi, considerabat dolum esse «*provocatum*» aut inductum seu ab alio causatum⁵. Non tamen videtur attentionem posuisse MICHIELS ad id quod can. 104, qui

doli, de quo quando de probatione doli «*cum dulus in animo consistat*» (n. 304), scilicet, ni fallor, iuxta ipsius priorem distinctionem «*doli*» ab ipso «*dolo malo*», «*in quantum significat propositum delinquendi, quo sensu est elementum delicti*» (n. 301, nt. 2).

Ante CIC WERNZ simul tractavit de errore et dolo, qui passive intellectus est, iuxta ipsum, falsa rei apprehensio ex deceptione (*Ius Decretalium*, III. Ius administrationis Ecclesiae Catholicae, Ex Typ. de Prop. fide, Romae 1908, n. 237). In fine dicebat si error accidentalis originem ducebat ex dolo, actio rescissoria dabatur; non vero «*si huiusmodi error accidentalis dolo sive deceptione non fuerit productus*» (n. 238), aliter ac in can. 104 (nunc 126). Ipse tamen non reducebat dolum ad errorem.

⁵ *Principia generalia de personis in Ecclesia*, ed. 2^a. Desclée et Socii. Parisiis, etc. 1955, 664-665; 662.

sequitur, de errore tam substantiali quam *accidentali* agat, nulla distinctione causae a qua procedat.

6. BENDER tales explicationes reprehendebat: «*Etiam Michiels dolum et errorem coniungens ab ordine Codicis deflectit*»⁶.

Quia si dolus definitur ut errorem causans, et tantum consideratur quatenus errorem causat, hi canones agerent bis de errore, semel de errore causato quidem ex dolo, et tantummodo ex dolo — nulla tamen explicita mentione erroris (can. 103 § 2) —, deinde de errore, ex quacumque causa — igitur etiam ex dolo — (can. 104).

Praeterea, norma pro casu erroris causati ex dolo esset incompleta, vel necessario intelligenda de dolo causante errorem tantum accidentalem (prout habebant VIDAL et MICHIELS), et haec norma eadem esset ac norma de errore (non indicata causa), qui tamen error pariter non versetur circa substantiam actus: actus scilicet valet sed rescindi potest. Satis curiosa, ad minimum, dicenda esset huiusmodi contorta systematisatio vitiorum actus iuridici, prout notabant VERMEERSCH-CREUSEN. Et vel magis curiosa dicenda hodie quatenus nullam accepit correctionem in momento revisionis Codicis.

BENDER ergo ita distinxit conceptum doli, ut praeter dolum qui errorem causet, etiam considerandum tenebat dolum qui in hoc consistit quod quis abutatur errore iam existente in alio subiecto, quem errorem tamen non ille causavit. Dolus igitur quatenus illum errorem ipse deliberate non corrigit et ita actum iuridicum obtinet qui procedit ex errore quo patitur subiectum.

⁶ *Normae generales de personis*, Desclée & Ci., Roma, etc. 1957, n. 343, nt. 21; pro his quae sequuntur cf. nn. 344-347.

7. BENDER putavit systematisationem Codicis 1917 (eadem, ut dixi, manet in Codice vigenti) factam esse sub respectu effectus quem variae causae habere possunt in actum iuridicum, ideoque can. 103 § 2 agere de rescindibilitate actus iuridici sive ex metu gravi et iniuste incusso, sive ex dolo; quamquam metus agat immediate in voluntatem, dolo in intellectum. Canon igitur statuebat normam prout procedit ex *solo* dolo (praeter quam ex metu), abstractione facta ab aliis effectibus qui haberi possint, ut ecce error, de quo agebat Codex in canone sequenti.

Deinde hic canon sequens, scilicet 104 agebat de errore, sive qui actum invalidum reddebat, quia «*substantialis*», sive qui, cum sit tantum accidentalis, tantum actionem rescissoriam tribuebat. In casu quo error procederet seu causatus esset a dolo, effectus in actum iuridicum considerandi erant ex duplici capite, seu tam ex dolo quam ex errore. Iam vero dolo solus non invalidabat actum, nisi dolo alia causa coniungatur «*quae saepe sed non semper erit error*». Error autem influit in valorem actus «*independenter a causa qua inductus est, independenter igitur a quaestione utrum tanquam causam habet dolum...*».

Retinebat ergo ipse definitionem traditionalem, postquam palam fatebatur dolum describere, ne diceret definire, esse rem sat arduam, et MICHIELS carpebat eo quod conaretur classicam definitionem corrigere quia «*ipse dolum restringit ad deceptionem, quod non recte fit*». Quia si deceptio revera causat errorem, «*Dantur autem casus in quibus dolo non causat errorem*». Ipse putabat hoc significari in definitione classica verbis illis «*calliditas... ad circumveniendum*». «*Dolo et error distinguendi..., et quoties dolo efficiat aliquid, hunc suum effectum non semper et necessario sortitur mediante errore quem causat*».

Talis est casus, iuxta ipsum, quando quis abutitur ignorantia vel errore alterius. Siquidem error iam praeexistebat, non est causatus ab actione dolosa. Exemplum dabat: Caius Titium movet ut donet Sempronio imaginem pretiosam, cuius valor a Titio ignoratur, ea intentione ut cum Sempronio lucrum venditionis dividat. «*Caius non causat errorem vel ignorantiam qua motus Titius agit. Non habetur deceptio, sed mera calliditas. Habetur tamen dolus*».

8. Ut videtur, nimis praemebat BENDER distinctionem conceptus doli, illum conceptum disperdiendo in dolum qui errorem causet et dolum qui non errorem causet sed tantummodo errore iam ex aliunde causato abutatur. In omnibus enim his casibus dolus coniungitur cum errore cum, ut supra recolebam, id essenziale videatur in conceptu doli et, ex alia parte, iam MICHIELS distinguebat, ut pariter supra recolui, dolum positivum et negativum, quin tamen apte ipse consideraret systematisationem cann. 103 § 2 et 104.

Sed aliud omnino est affirmare dolum, ex ipso conceptu, errorem causare (vel errore prius ab alio causato abuti), aliud autem asserere ius dolum considerare semper et unice prouti causa est erroris et ratione erroris, sicut iuxta cl. NAVARRETE accidit in iure matrimoniali, in quo sensum non habet considerare actionem rescissoriam, semel ac validitas matrimonii affirmatur.

Cur tamen in iure matrimoniali, effectus doli non consideratur, considerabatur et consideratur effectus metus (can. 1087 § 1; nunc vero 1103), dum idem effectus utrique tribuitur in can. 125 § 2?

Discrimen maioris momenti indicari posset in eo quod metus ita posset mentem perturbare, ut deliberationem prorsus impediret, unde consensus sub illo

metu datus, ex ipso iure naturae invalidus esset ex defectu deliberationis, qui effectus metus non consideratur ubi in genere de eius effectu, cum nimis sit evidens. Can. 1087 § 1 (respective nunc can. 1103), e contra, ageret de hoc metu invalidante ex iure naturae?

Videretur mihi tamen non sic apte explicari cur de metu, non autem de dolo, agatur in iure matrimoniali, dum in normis generalibus simul quaestio est de utroque, etenim etiam dolus habetur qui, ratione erroris substantialis quem causet, invaliditatem contractus (matrimonialis) ex ipsa natura rei, non tantum rescindibilitatem, causaret.

Et sicut, in explicatione cl. NAVARRETE, in iure matrimoniali non consideratur unquam dolus ipse, nec error, substantialis vel accidentalis, ratione doli a quo procederent, sic fortasse dicendum metus qui mentem omnino perturbaret pariter non considerari ne quidem in iure matrimoniali. Et re quidem vera quatenus agitur de metu tali quo quis cogitur «*eligere matrimonium*», hypothesis canonis can. 1087 § 1 (nunc 1103) alia videtur, seu non hypothesis metus qui prorsus excludat deliberationem. Et in hac quidem hypothesis, de metu scilicet qui non prorsus adimat capacitatem deliberandi, poneretur quaestio circa can. 1087 § 1 (respective 1103) iuxta quem metus prout ibi qualificatur irritat matrimonium: agiturne de irritatione ex ipso iure naturae? Quaestio haec, quae vexatissima et a saeculis agitata inter theologos et canonistas, a cl. NAVARRETE dicitur⁷, hic relinquenda est canonistis, qui de iure agunt matrimoniali.

⁷ Adnotationes ad responsum Pont. Comm. CIC authentice interpretando, *Periodica* 77 (1988) 498 [497-510].

9. Dolus locum habere potest, ut memorabam, non tantum respectu consensus matrimonialis, aut respectu in genere contractuum, sed et in aliis actibus iuridicis pluribus qui in iure considerantur.

Saepe, in certis canonibus, dolus consideratur simul *cum metu*, ita ut ex errore qui ex dolo habetur, coarctatio libertatis sequatur, similis illae quam patitur qui agit propter metum. Can. 172 § 1, 1º invalidum statuit suffragium «*eius qui metu gravi aut dolo*» adducitur ad eligendam determinatam personam vel inter determinatas. Certe haberi potest error causatus ex mendatio, sive quoad qualitates candidati, sive quoad intentionem proprii suffragii, etc.; sed etiam potest ab aliquo callide foveri bona opinio, quam tertius quis iam habebat de candidato, aut opinio de intentione proprii suffragii, vel etiam potest quis silentio callide non corrigere manifestatam huiusmodi bonam opinionem de aliquo candidato, ex quo eligens confirmari possit in decisione suffragii. Notandum autem est, ex ipso tenore canonis defectus libertatis esse rationem legis: «*Suffragium, ut validum sit, esse debet: 1º liberum*; it ideo (emphasis mea) *invalidum est suffragium eius, qui metu gravi aut dolo... adactus fuerit...*», unde canon considerat diminutionem libertatis non quidem propter errorem sed signanter propter dolum, seu propter iniustum modum procedendi quo libertas eligentis minuitur⁸.

⁸ Fontes huius can. 172 § 1 (seu can. 169 § 1 CIC 1917) considerant, inter alia, obtentionem suffragiorum ad episcopatum pro seipso, *timore* incusso (c. 1, C. I, q. 6), vel defectus libertatis ob abusus saecularis potestatis (X.I. 6. 43), aut «*quod latenter aut per vim...*» fiat — in genere, non tantum in electionibus — (X. V. 41.5), et in specie in electionibus exigitur quod «*omnia... sine ulla fraude fiant...*» (TRID. Sess. XXV, de reg., c. 6).

De facto inter condiciones suffragii, ante Codicem 1917,

Quae consideratio doli iungitur considerationi metus etiam in cann. 643 § 1, 4^o et 656, 4^o de valida aut invalida admissione in Novitiatum et valida aut invalida professione religiosa. SIXTUS V, anno 1587, statuit necessitatem informationum de vita anteacta, ne aliqui ingrederentur Religionem ad occultanda crimina et evadendas poenas, vel obligationes aut debita, seu ad excludendum dolum contra superiorem admittentem⁹.

Modo particulari BEN. XIV, consideravit dolum adhibitum ad obtinendas declarationes nullitatis professionum, dolum qui certe causavit errorem, verumtamen minime immorando in consideratione gravitatis ipsius erroris, scilicet utrum esset error substantialis vel non substantialis, sed accentum ponendo in ipsum dolum, cui tribuit effectum similem effectui metus¹⁰. Similiter plures decisiones SC Conc., consi-

WERNZ non memorabat absentiam doli (o.c. — supra nt. 4 — pp. 140-141). VIDAL (o.c. — supra nt. 4 — p. 319), utique memorat dolum utpote qui, cum metu, ponatur in canone de electionibus, sed nullam de hac novitate praebet explicationem. Nihil pariter apud OJETTI, VERMEERSCH-CREUSEN, ALONSO LOBO, CAPPELLO, CORONATA. etc. MAROTO considerat dolum «*quo elector fuit deceptus*», ergo, ut videtur, propter errorem quin quidquam innuat de iniusta limitatione libertatis (*Institutiones I.C., T.I.,* Apud Commentarium pro Religiosis, Romae 1921, p. 750).

⁹ Inter fontes horum canonum (sunt fontes cann. 532, 1^o et 572 § 1, 4^o CIC 1917): Const. «*Cum de omnibus*», 26-11-1587, §§ 4-5 (*Fontes* n. 162, Vol. I, pp. 301-302).

Iam INN. III voluerat tempus probationis ne allegarent aliqui infirmitatem tempore professionis, ut, sani facti, discederent (X.III.31.16).

¹⁰ BEN. XIV, Const. «*Si datam*», 4-3-1748: § 2: non agit de professione emissa ex dolo, sed e contra de sententia nullitatis professionis dolo obtenta. Recurrebant enim professi religiosi ad Paenitentiarium «*fatentes sententiam super Professionis nullitate pravis artibus extortam a se fuisse, decepto iudice, vel per mendacia*

deraverunt non solum metum sed etiam dolum ut declararent nullas professiones, pariter sine consideratione de natura erroris causati¹¹.

10. Auctores vero, hos canones commentantes, faciliter se sinunt trahi ad considerandum tantummodo momentum erroris, non igitur distinguendo duas figuras doli et erroris. Iam satis significative, ni fallor, CAPPELLO scripserat «*Nonnumquam non satis liquet*

in facti expositione adhibita, vel per corruptos testes...», ut, iam in saeculo post nullam sententiam, pacem conscientiae adipiscantur (Fontes, n. 385, vol. II, p. 133). Ideo normas dare intendit de causis nullitatis professionis intra quinquennium; dum § 5 agit de metu.

§ 23: Inter quaestiones adhuc examinandas memorat: «*an Professus, qui in Professionis actu impedimentum aliquod, sive defectum occultavit, de quo interrogatus fuit, addita declaratione ad formam Constitutionum, quod scilicet Religio ipsum, cum huiusmodi defectu aut impedimento forsitan occultato admittere non intendebat; an, inquam, talis Professus, qui Religioni dolum struxit, eiusmodi commodum ex propria fraude desumere possit, ut validitatem suae Professionis ex eo capite impugnare valeat*» (Ib., p. 142).

¹¹ SCC., Hispalensis (pluries de vi et metu: Fontes nn. 3512, 2575, 3582) dein nova postulatio «*urgens, apertam esse deceptionem dolumque malum, qua timore defectus alimentorum et dotis perducta fuit a patre, etc. ad emittendam professionem...*» (Fontes, n. 3589, vol. V, p. 1020).

SCC., Nolana, 19-11-1757: X. recusabat monasterium, ... «*fallaciam pararunt parentes*»; ... eam traduxerunt in Monasterio SMC specie educationis, re tamen vera, ut monasticas vestes susciperet... Confessarius nova deceptione fallaciaque utens suavit, ut tirocinium inciperet, nam professionis tempore ipse eam abducturus fuisset a monasterio... Monialibus dicebat se non emississe professionem «*questa sempre de vi et dolo*» (Fontes, n. 3677, vol. V, p. 1091).

«*[professionem] fuisse simulatam... ob timorem scilicet reventialem... adiunctis minis, deceptionibus, fallaciis et asperis tractationibus...*» (Fontes, n. 3726, vol. VI, p. 24).

an actus irritetur ob dolum substantialem vel accidentalem, v. gr. admissio in religionem et professio religiosa (can. 542, 572): cfr. can. 185», nec suspicando, ut videtur, quod «daretur tertium» tanquam motivum irritationis, scilicet iniustam limitationem libertatis in re tam magni momenti¹².

Pro parte sua, commentando canonem de ingressu in Novitiatum, TABERA, etc. etiam insistebant in distinctionem erroris substantialis vel accidentalis, declarando quod si ageretur de errore substantiali actus erat eo ipso nullus (can. 104), unde deducendum est et ipsos interpretari canonem 103 § 2 agere de dolo qui et prout causaret errorem accidentalem, non advertendo quod praeter rescindibilitatem actus ex errore accidentali (in eodem can. 104 in quo et de errore substantiali!), ius concedit rescindibilitatem etiam ex dolo (can. 103), unde duas figuras diversas considerat ius, cum eodem effectu. Quin immo, canon statuit valorem actus ex dolo «*nisi aliud iure caveatur*», quod quidem fit in his canonibus de vita consecrata ubi actus invalidus decernitur¹³.

BIDAGOR asseruit non videri «*exclusa possibilitas*

¹² WERNZ-VIDAL-CAPPELLO, *Ius Canonicum*, VII. De processibus (cf. supra nt. 4), n. 302, nt. 5. Nota haec non inveniebatur in prima editione operis a VIDAL anno 1927.

¹³ A. TABERA, etc., *Il diritto dei religiosi*, Ed. italiana, Commentarium pro religiosis, Roma 1961, p. 238, nt. 6.

Melius, recenter, cl. J. BEYER, non insistit in qualitatem erroris causati (si causetur) a dolo: «*Le dol consiste à taire des empêchements ou défauts graves: difficultés psychologiques, antécédents, même héréditaires, en affirmant la bonne santé, la conduite exemplaire du candidat, en falsifiant certains documents d'information (certificat médical, certificat d'études, résultats d'examens)*». (*Le droit de la vie consacrée, Instituts et Sociétés*, Tardy, Paris 1988, p. 90).

professionis validae cum errore accidentali doloso...». Verumtamen, ipse notavit statim: «at, si ita est, fortasse quis dicet in Codice redundare dolum, uti professionis impedimentum, cum error substantialis invalidet professionem ex iure naturae». Et adhuc de ingressu in novitiatum «error accidentalis dolo in candidato incussus... non certo admissionem invalidam facere videtur. At iterum, cur Codex statuit invalide ad novitiatum admitti, qui religionem ingreditur dolo inducti?». Sed nonne ipse tradebat responsum: «Quamvis efficacia propria doli sit in eo quod vitiet consensum, tamen ratio specifica impedimenti doli est in reparanda iniustitia et iniuria...»?¹⁴.

Ideo, ut in casu supra considerato electionum, et etiam quando agitur de ingressu (vel admissione) in novitiatum et de professione religiosa, dolo ipso, abstractione facta a qualitate erroris, tribuitur a iure vis irritandi actum ex ipso iure, iuxta exceptionem quam can. 125 § 2 praevidet; dum si error substantialis esset, actus esse invalidus ex alio etiam capite.

11. Ius statuit etiam nullitatem voti emissi (can. 1191 § 3) vel iuramenti extorti (can. 1200 § 2) metu gravi et iniusto vel dolo, ubi ratio legis nititur in iniustitia dolo utentium, non quidem formaliter in errore quem inducunt¹⁵. Id quidem, non obstante

¹⁴ R. BIDAGOR, *De dolo et eius effectibus in admissione ad novitiatum et professione religiosa*, in *Periodica* 20 (1931) 71*-72*.

FRANSEN, examinatis sententiis auctorum, asseruit: «...selon nous, un dol substantiel est requis», et quidem contra «*profitentem*» (a.c. — nt. 1 — 400). Arguebat, ex iure praecodicali, aut saltem ex can. 15 (hodie 14) de dubio iuris (pp. 400-401).

¹⁵ Datur discrimen in formulatione utriusque canonis. Quando de voto agitur, tenor est «*votum metu gravi et iniusto vel dolo emissum...*», quando vero de iuramento: «*lusiurandum dolo, vi aut metu gravi extortum*», sed, nisi fallor, sensus est idem, etsi in

ratione adducta ab ALEXANDRO III et INNOCENTIO III ne concederent invaliditatem aut rescissionem, scilicet ne «*auctores periurii esse videamur*». Prior quidem, quamquam agnoscat a praedecessoribus datas fuisse rescissiones «*ad coercendam iniquitatem eorum, qui... ad praestandum illum... compulerant*». Quam praxim antiquam etiam recoluerat eius praedecessor COELESTINUS III, verumtamen neuter illam restauravit, propter rationem datam¹⁶.

casu voti non consideretur vis. Si enim metus iniustus dicitur, is sine dubio gravis esse debebit et ad «*extorquendum*» votum.

In CIC praecedenti alia erat praeterea differentia, scilicet, si de voto verba eadem erant ac nunc habentur in can. 1191 § 3, de iuramento can. 1317 distinguebat § 2 scilicet de iuramento «*per vim aut metum grave extortum*» (valebat, sed relaxari poterat a superiore ecclesiastico), et § 3: «*iusiurandum nec vi nec dolo praestitum, quo quis privato bono aut favori renuntiat lege ipsi concesso, servandum est quoties non vergit in dispendium salutis aeternae*». Igitur valorem ius non sustinebat. Nunc, semper irritatur iuramentum ex quacumque ex tribus causis.

¹⁶ Tanquam fontes can. 1191 § 3 et can. 1200 § 2 habentur tantum fontes cann. 1307 § 3 et 1317 § 3 CIC 1917: ALEX. III (a. 1159-1181): «*Non est tutum, quemlibet contra iuramentum suum venire, nisi tale sit iuramentum quod vergat in interitum salutis aeternae... Ne auctores periurii esse videamur*». Recolit tamen absolutionem iuramenti datam esse in romana ecclesia clericis qui coacti ministerium abiuraverant «*ad coercendam iniquitatem eorum, qui... ad praestandum illum... compulerant*» [Cuidam episcopo: X.II.24.8].

Iuxta praxim praedecessorum pontificum, COELEST. III (a. 1191-1198) putat absolvendos a iuramento «*qui illud inviti pro vita et rebus servandis fecerunt*», tamen ad vitanda periuria vult ut eis non dicatur expresse «*ut iuramenta non servent, sed, si non ea attenderint, non ob hoc sunt tanquam pro mortali crimine puniendi*» [X.II.24.15].

INN. III (a. 1198-1216): Constabat de voto et iuramento emisso et «*utrumque servatum non vergat in dispendium salutis aeternae, nolentes viam periuriis aperire, non obstante violentia... [quae] non debuerat cadere in constantes, nec obstante dolo quo se*

12. Quando in duobus canonibus vigentis Codicis dolus consideratur sine relatione cum alio vitio actus iuridici, id etiam fit non quidem sub formalitate erroris causati a dolo, sed sub respectu iniquitatis quam actio dolosa involvit, et in casu effectus non est nec actio rescissoria nec invaliditas, sed iuxta can. 1204, interpretatio iuramenti eius qui dolo iuravit facienda est contra ipsum seu prout iuramentum intellexit is cui iuramentum factum est. Applicatur axioma canonicum, ex iure romano acceptum, quod nemo beneficium reportare debet ex suo dolo¹⁷. Iuxta vero can. 1645 § 2, 3^o cum sententia iudicis «*ex dolo partis prolata*» in damnum alterius partis, manifeste iniusta sit habenda, etsi transierit in rem iudicatam, prostat remedium restitutionis in integrum. Multae per historiam fuerunt decisiones de nullitate sententiarum, prout ostendunt fontes (ad can. 1905 § 2 CIC 1917), verumtamen semel tantum agunt de dolo, contendente aliquo reo «*dolose etiam omnibusque violatis formis processus...*», ubi dolus potius quam sub ratione erroris causati, sumi videtur sub ratione iniustae ac deliberatae damnificationis, ex qua iniusta oritur sententia¹⁸.

proponebant fuisse seductos, quum talis dolus non tam ad circumventionem praedictorum... quam ad fatuitatem eorum debeat retorqueri» non concedit rescissionem [Duobus episcopis X.I, 40.6].

¹⁷ «*Iusiurandum stricte est interpretandum secundum ius et secundum intentionem iurantis aut, si hic dolo agat, secundum intentionem illius cui iusiurandum praestatur*». (can. 1204).

Fontes huius canonis (scilicet can. 1321 CIC 1917) nihil continent de casu praestantis iuramentum propter dolum, sed tantum agunt de prima parte canonis.

«*Nemini dolus suus prodesse debet*» erat regula iuris romani iuxta MAURI, *Regulae Iuris*, Hoepli, Milano 1954, p. 70.

¹⁸ S.C.C., «*Premislien.*», 18-6; 20-8-1887, ad 1: Contendebat

13. In aliis canonibus dolus simul *cum neglegentia* consideratur, ita ut valor actus non sustineatur. Fontes, nec in hoc casu, considerare videntur errorem, quem dolus forse causat, sed potius coactionem aut defectum plenae libertatis quam patitur subiectum actus iuridici.

Can. 67 § 2 statuit eum qui dolo non utitur rescripto, non posse appellare ad principium quod «*qui prius est tempore potior est iure*», quia suo dolo impedit quominus dator secundi potuisset priorem invalidare per ipsius expressam mentionem. Similis est casus can. 69, de non tempestiva praesentatione rescripti executori, ubi loco termini doli, canon utitur termino fraudis, qui in casu videtur synonymus. Fraus causat forse errorem, sed certe involvit iniquam coarctationem libertatis¹⁹. Notandum est fontes cano-

reus: «*Ex machinatione patroni paroeciae, processus...*» «*Omnia dolose parata, dolose etiam omnibusque violatis formis processus...*». Accusatores (calumniatores) noluerunt iurare ante testimonium [p. 685]... Nulla auditio rei... Depositiones falsae, exaggeratae... Si prout exponit res se habent: invalidae sententiae... Si prout EpD. et Nuntius: «*videretur aut putide mentiri aut somnigare*»... [Fontes, n. 4271; vol. VI, pp. 683-691].

Quae additur decisio SA, 6-4-1920 concessit restitutionem in integrum ob neglectum praescriptum legis (can. 1645 § 2, 4^o), quin ageret quidquam de dolo (n. 3^o) (AAS 12 [1920] 257 sub 5^o). Alius vero fons non est nisi canon pro Orientalibus (a. 1950) qui quidem praescriptum canonis latini, quoad effectum doli spectat, repetebat.

¹⁹ Per se praevalet prius rescriptum datum, quia praesumitur datorem non paeniteri concessionis iuxta R.J. 16: «*Decet beneficium concessum a Principe esse mansurum*». Exinde quamquam auctor rescripti illius sit oblitus, illud manere in vigore debet. Solummodo si auctor, in concedendo novo rescripto, de priori mentionem faciat expressam, praesumptio oblivionis cedit veritati, prout statuit canon, ideoque iam non potest praesumi illud prius vigere.

Verumtamen, si quis dolo non utatur rescripto, eius existen-

nis 67 § 2 versari in materia processuum, variis casibus circa concessionem iudicum delegatorum, et semper simul poni in eadem sententia «*dolus et negligentia*», sicut et in canonibus citatis, aut «*malitia vel negligentia*», «*malitia et dolus*». In casibus his, id quod consideratur non est ratio erroris, sed deliberata (in dolo) aut ex negligentia (culpabili) libertatis coarctatio, cuius reparatio habetur non sustinendo valorem actus²⁰.

tia potest manere occulta, et ideo auctor secundi nequibit de eodem mentionem expressam facere, unde etiam manet prior, non obstante omissione mentionis, prout etiam habet canon. Exemplum ex libro Decretalium praebet Van Hove, *De Rescr.*, p. 200. Iudex delegatur ad aliquam causam, non mentione facta prioris delegationis. Nominatio haec altera valet «*si [prior nominatus] eis [litteris prioribus] dolo vel negligentia uti postposuerit*». Non valet, si pars usa non fuit «*quia delegati iudicis copiam nequiverit habere*». Dolus haberetur, vg. si pars abstinuit ab usu, cum facile potuerit habere iudicem delegatum, quia putavit fore ut non sibi faveret. Non facile dices talem dolum causare errorem auctoritatis propter quem novum rescriptum concedit; immo potius error habetur in secundo petente rescriptum, vel potius ignorantia praecedentis rescripti, dum qui prius impetravit rescriptum potest etiam ignorare intentionem secundi.

Unicus fons can. 69 (VI. I. 3. 12: cf. can. 52 CIC 1917): prior praesentatio secundi rescripti, non nocet priori «*dum tamen dolus tibi non possit vel notabilis negligentia imputari*».

²⁰ En aliqua exempla ex fontibus (cf. veterem canonem 48 § 2): Duo adversarii concordant de iudice. Dein unus, inscio alio, impetrat novum rescriptum concedendo novum iudicem. «*Non immerito is, qui tali dolo vel fraude adversarium suum laborare coegit, in expensas condemnari debet eidem*» (X. I. 3. 3). Notetur in casu, imponi poenam, nulla quaestione posita de valore actus.

Aliquis convenitur coram iudice delegato per rescriptum. Obicit conventus se priorem rescriptum habere. Nulla huius mentio in posteriori. Non tamen excusatur qui prius exhibet rescriptum «*si eis dolo vel negligentia uti postposuerit*» (X. I. 3. 9). Est eadem norma quae nunc habetur in canone 67 § 2. Pariter in sequentibus exemplis: In quadam lite X appellat. Litteras obtinet

Agendo de postulatione, can. 182 § 2, qui etiam iungit dolum et negligentiam, exigit ut postulatio mittatur ad auctoritatem competentem intra tempus, sub sanctione nullitatis, verumtamen talis nullitas non habebitur si praeses, qui postulationem mittere debebat, aut impeditus fuit aut e contra «*dolo vel negligentia*» abstinuit, prout iam praescripserat NICOLAUS III (a. 1277-1280) pro confirmatione electionum et postulationum. «*Mora sua cuilibet nociva est*» (R.I. 25), ut patet, mora culpabilis sive ex deliberatione sive ex negligentia.

14. In hoc puncto probe notare convenit subtilem mutationem in conceptu doli: iam non omnino agitur de dolo qui subitur a persona quae actum iuridicum ponit (vg. professionem religiosam), sed potius de dolo seu fraude quo quis utitur ut frustretur possibilis actus iuridicus alterius, ita ut dolus appareat non iam ut causans vitium actus iuridici, sed ut actus deliberatus damnificandi. Huiusmodi indoles doli adhuc clarius in canonibus sequentibus, in quibus dolus pariter coniungitur cum gravi negligentia.

Casus perspicuus habetur in can. 1457 § 1, qui versatur in materia processuali, et agit de dolo iudicum quo damnificant litigantes, ubi clarius adhuc dolum non propter errorem quem causet vel quo iudex abutatur consideratur, sed propter damnifica-

ad iudices. De his tacet nec utitur «*dolo vel negligentia*». Litterae posteriores pro aliis iudicibus (quae non mentionem faciunt priorum) sustinentur (X.I.3.12).

Contra Episcopum, quidam arguunt de impetratis litteris pro alio iudice: «*Verum quoniam in posterioribus litteris non fuit mentio facta priorum... nos attendentes malitiam et dolum nulli patrocinari debere... praedictam causam secundum formam priorum litterarum, non obstantibus posterioribus, terminetis...*» (X.II.14.2).

tionem, ideoque quaestio non est de nullitate cuiusvis actus, sed de poenis imponendis²¹. Leges ergo ex quibus canon originem sumpsit aut actum non sustinebant, ipsum irritando, aut iudices puniebant vel ad reparationem cogebant. Initio huius saeculi breviter id exprimebat *Lex propria Rotae et Signaturae* (can. 9 § 1): «*Auditores qui... ex culpabili negligentia vel dolo grave litigantibus detrimentum attulerint...*».

15. Non alius est sensus in viginti can. 128, qui in genere agit de damnificatione propter quemlibet actum «*dolo vel culpa posit[um]*». Quaestio enim in contextu est de imputabilitate actionis dolosae vel negligentis. Prout enim pronuntiat can. 1321 § 1 «*Nemo punitur, nisi*» violatione legis aut praecepti «*graviter imputabili ex dolo vel ex culpa*», prout constanter in Ecclesia iudicatum est, et apparet ex fontibus can. 2200 CIC 1917. GREGORIUS IX scripsit, quadam paraphrasi Prov. 25, 18: «*Sicut noxius est qui mittit lanceas et sagittas in mortem, ita vir qui fraudulenter nocet amico suo, et cum fuerit deprehensus dicit, ludens feci*»²².

²¹ Can. 1457 § 1: «*Iudices qui... vel ex dolo aut gravi negligentia aliud litigantibus damnum inferant, congruis poenis a competenti auctoritate puniri possunt, non exclusa officii privatione*».

Fontes (ad can. 1625 § 1: «*...vel qui ex culpabili negligentia aut dolo actum nullum cum aliorum detrimentum vel iniustum ponunt aut litigantibus aliud damnum inferunt...*») agunt de poenis erga iudices damnificantes alios iniuste ob «*culpabilem negligentiam vel deliberate*», scilicet quia agunt temere; iniuste; odio vel gratia moti; improvide vel inique; negligentes legem; fraudulenter fingentes; remisse; «*malitiose aut fraudulenter... falso crimen*» imponentes (CLEM. V.3.1: In Conc. Vienn.); fraudem faciunt, aut conscii participes fiunt.

²² Et id notari potest, quod dolus in sensu fraudis, non minus indicat «*deliberatam transgressionem legis*», quin attentio conver-

In quibus casibus dolus ut oppositus culpabili negligentiae sumi videtur prout in materia poenali Codex 1917, can. 2200 § 1 definiebat: «*Dolus heic est deliberata voluntas violandi legem*».

FRANSEN, institit in aequivocitate termini doli, quatenus designat, ex una parte, intentionem delictivam et, ex alia parte, machinationem fraudulentam, quamquam immorari noluit in confusione lamentanda quia esset insistencia in rem evidentem et in quam omnes ultro convenirent. Verumtamen, etiam in iis

tatur ad effectum deceptionis seu ad errorem. cf. D. 44, c. 6: Servi non ordinandi. Si fugiens dominum «... *aut qualibet calliditate vel fraude ad gradus ecclesiasticos pervenerit... deponatur...*» (Paele: Ex Tolet. c. 82).

Quae fraus, seu deliberata et iniusta deceptio, etiam a tertio patrari potest, ut iam INN. III: Non imputatur electo confirmato, si eo prohibente, immo ignorante, pro ipsius confirmatione pecunia data fuit. «*Alioquin contingeret quod alicuius factum, insidias inimico parantis, ei damnosum exsisteret, cui penitus displiceret, et sic aliquis de fraude sua commodum reportaret*» [Cuidam Abbati, a. 1199: X.V.3.33].

Distinctio inter deliberationem et negligentiam (culpabilem) est constans in fontibus. URBANUS II (a. 1089), agendo de vetita communicatione cum haereticis distinguit casum eius «*qui aut spontanee, aut negligenter inciderint*»; tales, praecipit, coerceantur ad exemplum aliorum [C. XI, q. 3, c. 110]. Aut ut iam scripserat NICOLAUS I, duobus saeculis prius, agendo de simili problemate communicationis cum excommunicatis: «*aliud esse ex necessitate, aliud ex ignorantia* [absolvantur si non simulata, aut ex voluntate], *atque aliud quod studio delinquitur...*». Cui casui certe acquiratur casus ignorantiae simulatae quia «*sunt plerique qui possunt quidem, sed nolunt, recta nosse*» [C. XI, q. 3, c. 102: NICOLAUS, ca. 864].

In allocutionibus citatis PII XII inter fontes can. 1321 § 1, in quibus tamen terminum «dolum» non adhibet, insistit in principio: «*Ce devrait être en droit pénal un principe inattaquable que la «peine» au sens juridique suppose toujours une «faute»*» (3-10-1953: AAS 45 [1953] 737).

canonibus in quibus agitur de dolo in oppositione ad negligentiam et attentio dirigitur praesertim ad intentionem nocendi, non videtur dici posse tam decise «*quod dolus nihil aliud significat nisi intentionem nocendi*» quia, ut plurimum, agitur de intentione quae manifestatur in actionibus fraudulentis²³.

16. Ex supra consideratis, generalis systematisatio horum vitiorum actus iuridici in Codice iuris canonici plane, ni fallor, clarificatur. Agitur quidem de vitio actus iuridici, qui manet, etsi imperfecte, deliberatus²⁴. Codex scilicet considerat prius dolum (simul cum metu), praescindendo ab hoc quod dolus sit vel non sit causa erroris (125 § 2 qui repetit can. 103 § 2), et deinde considerat errorem ex quacumque causa procedat, sive ex dolo sive non (can. 126; antea can. 104).

²³ O.c. (nt. 1) 409. Iam antea (pp. 370-371) agendo de variis sensibus in canonibus. Prout mihi videtur nimis separat duos sensus doli, ita ut illa notio quae in can. 2200 § 1 proponitur utpote quae significat deliberatam voluntatem violandi legem, «*n'ayant de commun avec la notion précédente* (doli tanquam vitii actus iuridici) *que le fait d'être antijuridique*» (p. 370).

²⁴ Hoc sensu G. FRANSEN recte monuit ne distinguamus (potius «separemus») errorem et iniustitiam. «*L'effet propre du dol est de provoquer ou d'entretenir une erreur dans l'esprit de l'auteur de l'acte juridique et, ce faisant, de léser indûment sa liberté. Certains auteurs, à tort persons-nous, distinguent l'erreur de l'injuria qu'elle produit. C'est méconnaître le caractère propre du dol. En effet, c'est en provoquant une erreur, et non autrement que l'on prive indûment l'auteur de l'acte de sa liberté juridique, et il est vain de vouloir attribuer des effets particuliers à l'erreur que le dol produit, sans tenir en même temps compte de l'injustice inhérente à cette erreur. Toute la malice du dol réside donc dans l'injuria...*». Revera can. 125 § 2 non agit de reparatione damnificationis iniustae, sed de vitio actus iuridici (*Le dol...* — cf. nt. 1 — 378).

Ideo agit prius de metu et dolo quia horum effectus in genere idem est: nec dolum nec metum *necessario* excludunt sufficientem deliberatam voluntatem in actu iuridico ponendo ex parte eius qui dolum vel metum passus est, ideoque nec dolum nec metus ex ipsa natura rei excludunt seu irritant actum iuridicum. Sed in utroque casu, vitium in voluntatem et vitium in intellectum, qui causantur per metum et per dolum, iniustam involvunt quoque damnificationem, saltem in quantum iniuste restringunt libertatem ponentis actum iuridicum, ideoque negative influunt in relationibus iuridicis pacificis in communitate, contra quem influxum negativum protectio danda est in ordinata conversatione in communitate, a fortiori in communitate ecclesiali.

Ratio proinde rescindibilitatis actus ex dolo positi, et fortasse etiam, quamquam exceptionaliter, irritationis, fundatur non in errore ipso, — abstrahit proinde ab eius qualitate (diceres fere «quantitate», scilicet utrum sit substantialis vel accidentalis) — sed in defectu perfectae libertatis ex parte eius qui dolum subiit, quatenus non undequaque perfecte intellexit obiectum actus, ideoque in iniuria quam passus est ex circumventionem. «*Doli effectus* immediatus est *error*. Sed ius non ideo succurrit decepto, quia errorem passus est ex dolo, sed praecise quia *iniuste* passus est»²⁵.

Quod si, ita est, planum est etiam *in iure canonico*, ipsi dolo effectus iuridici tribui, et dolum considerari vel qui non errorem causet, vel non formaliter ratione ipsius erroris, sed propter iniustitiam et damnificationem quam involvit.

²⁵ R. BIDAGOR a.c. (nt. 14) 63*-64*.

In casu metus, explicite dicitur in canone 125 § 2 quod tantummodo consideratur metus iniuste incusus. In casu doli, id non explicatur quia per se patet dolum, in quantum errorem causat, vel errore abutitur, involvere iniustitiam, non enim concipitur actus iuridicus positus ex dolo, sine dicta iniustitia²⁶. Idcirco ergo quia similis est influxus utriusque vitii, similis est etiam consideratio effectus iuridici: concessio iuris actionis ad actus iuridici rescisionem, vel possibilis rescissio etiam ex officio, nisi in casu exceptionalis ipsum ius irritet actum.

Deinde tantum ius considerat erroris effectus in agentem actus iuridicos (can. 126), et quidem independentem a causa unde error procedat, sive ex dolo, sive ex alia causa etiam inculpabili. Ideo, error et ignorantia simul considerantur. Quo in casu necessaria fit divisio inter errorem (ignorantiam) substantialem et accidentalem. Si prior occurrat, actus iuridicus nequit sustineri ob defectum obiecti proprii; si vero alter, per se, non est cur actus non sustineatur. Ratione enim habita relationum in communitate, ne ex multiplicitate possibilium errorum (ignorantiarum) accidentalium, relationes iuridicae perturbentur, non oportet invalidare actus iuridicos ex accidentali errore vel ignorantia. Verumtamen in tanta possibilitate errorum (ignorantiarum) accidentalium, diversissimae molis, ius providet remedium, similem illi qui datur in casu metus et doli, scilicet actionem rescissoriam.

FRANCISCO JAVIER URRUTIA, S.I.

²⁶ Divisio quae iam in iure romano habebatur inter dolum bonum et dolum malum, id ipsum praecise effert, etenim tantummodo de dolo malo asseritur rescindibilitas actus. Dolus enim bonus, seu sollertia in propriis negotiis gerendis, *siquidem nullam involvit iniustitiam*, nullo modo in iure consideratur.